

an dem hohem Lande

an dem Lande

an dem Lande

an dem Lande

an dem Lande

an dem Lande



- Personalschriften -  
 = 54 Nummern, 1628.-1642. J. =

51. Albinus, M. Loo.	44. Heinrich, Sam.	35. Pucklirsch, Jos.
32. 33. 34. } Baldwin, Friedr.	46. Holtzmüller, Joh.	41. Quellmaltz, Loo.
42. Bamberg, Loo. d. J.	29. Horlemann, Andr.	8. Röber, Sabina
26. 27. } Barthmann, Joh.	49. Hülsemann, Johann	45. Schindler-Berg
4. 5. } Biener, Christ.	50. Hlchner, Paul	43. Sperling, Paul
40. Braun, Valmt.	7. Johann Georg, Kerfützt	18. Ströer, Matth.
20. Coler, Johann	21. Kirsten, Mart.	1. Treutzsch, Chris. u. a.
22. Cramer, Theod.	17. Liborius, Joham.	11. Ull, Johannes
24. Crusius, A.	16. Macht, Michael	12. ders.
48. Ehrenhold	3. Neefe, Joh. Cusp.	25. Wagner, Gottf.
23. Emmerling, Sam.	13. Nigrinus, Wilt.	6. Weber, Paul
51. 52. } Ferdinand III	14. ders.	31. Wächinger, Joh.
53. } Ferdinand III	15. ders.	39. Weiskopff, Joh.
10. Gärtner, Paul	15. ders.	39. Weiskopff, Joh.
47. Gotterrichtungen, nach Ovidischer Art	36. Plattner, Georg	9. Weller, Jakob
2. Graul, Daniel	37. Polonius, Raph.	19. ders.
28. Graul, Daniel	38. ders.	30. ders.



DEVOTÆ ACCLAMATIONES,

Quibus

Sacra Nuptialia

*Præstantissimi & Literatissimi Viri*

DOMINI

**PAULI Webers**

Sacr. L. L. cultoris assid. & Potentissimo ac  
Serenissimo Elect. Saxon. à Quæsturâ

quæ est DRESDÆ,

SPONSI;

NEC NON

*Pudicissima & Lectissima Virginis*

**BARBARÆ,**

*Amplissimi & spectatissimi Viri*

**DN. JOHANNIS ARNOLDI**

Senioris, Rationum Elect. Sax. Quæstoris in

arce Chemnicensi quondam optimè meriti, nunc

Illustris. Marchion. Brandeb. Beireit

à Consilij, &c. Filia,

SPONSÆ.

*DEO Trino, & uno feliciter favente die 15. Sept.*

*Anno 1629. CHEMNITII celebrata,*

Solemnia vovent, & auspiciatissima exoptant

Fautores, Affines, Agnati & Amici.


*FREIBERGÆ Hermandurorum, Typis Georgij Hoffmani.*





**H**IPSE DEUS castis castos in sevit amores  
Mentibus, & iunxit pectora bina toro.  
Te DEUS & fortuna simul maectavit honore,  
Dum geris Ensiferi munia, Sponse, ducis.  
Deerat adhuc coelebs quod vita remanserat, ergo  
Hac etiam gaudet parte juvare torum.  
Utraq; sit voveo faustissima functio vitæ,  
Grata sit uxori functio, grata Duci.  
Non igitur culpandus eris florentibus annis  
Quod firmas stabili foedera sancta fide.  
Gratulor hanc sortem: sancti inspirator amoris  
Jova diu faxit quò sibi constet amor.

Johannes Höpnerus D. Pastor  
ad D. Nicolai.



Lusus Nuptialis metricus ad cog: & prænomen  
viri præstantis. & spectatâ literarum severiorum ac  
humaniorum cognitione excultissimi, Dn. PAULI  
Webers/ Quæstoris Dresdensis.

**V**irtutum telam calido pertexere agone,  
Atq; litare Dica, nupera cura fuit.  
Præsidioq; bona causa nitentibus aquum  
Fus dictare, At ne struat atra dolos,  
SPONSE, serenarum virtutum, Juris & equi  
TEXTOR honorati diribitorq; loci:

Allusio ad  
Cognomen  
Dn. Sponsi.

Nunc



Nunc etiam socios Venus infert blandula gressus,  
Nutantemq; thorum conveniente modo  
Suffulcit, dum VIRGINEAM dat texere TELAM  
Florentem donis millecuplis Charitum.  
Texe DEO gratam, proq; utilitate tuenda  
Communi telam; hec munia gnarus obi.  
Perpetuas solvet grates Ecclesia, & usus  
Publicus. At PAULI dememinisse cave.

Allusio ad  
Prænomen  
Dn. Sponsi.

Domino Populari & Amico benevolo  
amanter offerebam Dresdz

Zacharias Schilster Lipsius Ju-  
rium Doct. & Advocatus.




Ad Dominum Sponsum Amicum  
suum Veterimum.

QVod tibi, mi TEXTOR, textit Venus alma corollam,  
Tempora qua cerno nunc redimita tuo,  
Gaudeo, congratans, optansq; ex pectore toto,  
Undiq; TEXTRINO in fragret ut ista tuo.

A. m.

Quirinus Schacher U. J. D.



QVid tibi, quid Sponse voveam, nove Sponse, decenti,  
Sidere quam lato iam tibi iungit Hera  
Pronuba. Quid? nisi Romanum FELICITER illud.  
Hoc satis: Hoc potius nulla Camana canet.

Amicitia & honoris ergo deproperabat

Philippus Benewitz D.

ARNOLDINA Tibi dum BARBARA rite jugatur;  
Nostra petis Thalamo vota, WEBERE, tuo.

A 2

En!



En! fero pauca, tui pro nominis omine: TEXAS  
In socio Thalamo, TEXERE quidquid opus:  
Utq; diu possis TEXTOR feliciter esse,  
Sit Tuus, atq; Tuz TECTOR ubiq; DEUS!

Johannes Neuter D.

**M**unera grata Deo, ac homini sunt munera grata,  
Vota placent homini, vota placentq; Deo.  
Vota Tibi voveo devota ex pectore amico  
In latas tadas, Sponse colende, suas:  
Inq; Foro, inq; Thoro faveat tibi Fautor & Autor  
Conjugij, Pylj tempora detq; tibi.  
Vota hac grata sient Hymenai muneris instar,  
Cetera perficiens Comus & alma Venus.

ANNO:

Sparge Marte nVCes: Dat Vr, en! tibi VIRgo VenVsta.

Sebastian Roth M. D.

**C**onjugium tibi sit faustum, modò quattuor ecce  
Verba precor: Faustum sis tibi Conjugium.

Sylvester Kundmann M. D.

Ad spectatissimum virum, Dn. PAULUM  
WEBERUM, p. t. Sponsum, amicum  
suum singularem.

**S**ic erat in fatis? Tibi Bitterfelda negabat  
Sedem, & legitimæ vincla ferenda facis.  
Cæsareum contrâ Nympham despondet honestam,  
Chemnitium, cedit DRESDA superba locum.


Gratulor



Gratulor utrumq; ex animo. Concedat Jova,  
Optio sit votis irrita nulla tuis.  
Decurrant lætè confecta negotia semper,  
Perturbent sensus nulla sinistra tuos.  
Suggerat ipse DEUS tibi vires corporis, annos  
Per multos in pace ut diuturnus eas.  
Nec vos deficient quoq; cari pignora lecti,  
in quibus ipsa Patris, Matris imago micet.  
Hæc absens, mea vota fero qui cuncta beare  
est potis in cœlis, pondus inesse sinat.

Lipsiæ scribebat

M. Johannes Müller Profess. publ.



**W**EBERE, ò sacra Themidos nitidissime ocellæ,  
Divino celebras numine sacra tori.  
Ecce! tuum insignis verà pietate Virago  
Ec virtute potens claudit amica latus.  
**B**ARBARA quantumvis sit nomine; blanda tamen res  
Et benè morata est, moribus apta tuis.  
Hæc tibi de multum grator, cultissime Sponsæ,  
Et votum hoc calido pectore fundo breve.  
Vivite felices! mala ne fors limina tangat  
Vestra, DEUS presens Vos tegat & foveat!

Dn. Agnato suo plur. dilecto F.

M. Hieronymus Reckleben

Dialect. Profes. publ.



*Focus Nuptialis*

Ad Dominum Paulum Textorem, Logicum in

Primâ Figurâ modis

BARBARA, CELARENT, DARI, FERIO.

43

PAULUS



**P**AULUS amat Logicen, ab Eo quia BARBARA amatur,  
 Hujus præq; alijs sola Figura placet.  
 Prima Figura placet, modus & qvi BARBARA dictus,  
 Hancq; Opponentem concupit esse sibi.  
 Novitenim PAULUS prius illa Figura quod ultrò  
 Subjiciat medium, predicet atq; simul.  
 Insuper Hic Textor callet, conclusio quod quæ  
 Textur in BARBARA firmior esse solet.  
 BARBARA non renuit, (modus hic namq; asserit omnis)  
 Sed PAULUM Logicum gaudet habere sibi.  
 Terminus hinc medius nunc indagatur ab illis,  
 quò semel inventò, nubere vix poterunt.  
 Et qvi CELARENT, manibus pedibusq; laboret  
 Cum Hic, argumentum fiat ut inde bonum.  
 Fallor, an hoc DARIU fuerit Paulivè vocandum  
 Nomine, num mollis BARBARA forsan erit.  
 Quatuor incedet primùm, ternisq; meabit  
 hinc pedibus, binis post gradietur idem.  
 FERIO obinde diem, quâ disceptatio talis  
 Cypridos in Cathedrâ nunc ineunda Tibi.  
 Argumenta catus solvas, quæ Preside Amore  
 BARBARA proponet, PAULE Logista, precor.  
 Ast Labor hic, opus & dilemmate (PAULE notabis)  
 Cornuto, si tu Victor ovare cupis.  
 Sæpius hoc etenim feritur si BARBARA, PAULE,  
 ambas victa Tibi porriget illa manus.

Fiat! fiat

Quod fieri deproperando  
optabat

Caspar Christiani Cold. Serenis-  
simo Saxonix Electori à Se-  
cretis,

Eximia



*Eximia pietate & doctrina ornatissimo*

*DN. PAULO WEBERO Lipfico.*

*Et Pudiciss. Virgini*

*BARBARÆ ARNOLDÆ Spp. & γαμεινῶ*

**P**AULE tibi WEBERE, pia quod mente petisti,  
Iungitur à Domini BARBARA nupta manu.  
BARBARA, sed tantummodo BARBARA nomine, non re:  
Aucta bonis animi, corporis aucta bonis.  
BARBARA flava comas longas, oculosq; pudica,  
Candida nympha animum, candida nympha manum.  
Ehrnholdam dico, vero quam nomine dico.  
Auribus hoc non do, Sponse perite tuis.  
Ex voto tibi res cedit, tibi gratulor absens.  
Absentis votum quippe perinde valet.  
Longa alij vobis ociosi carmina scribant  
Curta ego: si nihil heic curtus omitto, fat est.

*Brevitatis M. Balth. Crusius,*



*Vota Devota,*

*Connubialia Vota.*

**Q***uid multis? Prestat brevibus bona vota voverè,*  
*Quàm miris verbis carmina mira dare.*  
*Conjugij prime Autor & Asservator Jovæ*  
*Dona Conjugibus prospera cuncta novis.*  
*Prospera, quæ spectant animum corpusq; domumq;*  
*Indiget & cujus prospera conditio:*  
*Ut vivant justè, sanè, semperq; beatè,*  
*Et videant casti pignora multa thori.*  
*Et tandem vite saturos ad cœlica tecta*  
*Perduc, conjugij Fautor & Autor, Amen!*

*Gratulabundus rapièb:*

*M. Sebastianus Hommel Dia-*  
*conus Chemnicensis.*


*Et*



**E**T mea, fausta nova Sparta, Sacroq; jugali  
MI FRATER, Pietas, atq; precatur amor.  
A DOMINO veniunt, nova quæ tibi gaudia surgunt,  
Hincq; ea quæ solident, indupetranda prece.  
Ergo DEUS tua nunc feliciter orsa secundet,  
Ut curras stadium tramite utrumq; bono.  
Singula sufficiant, vitæ quæ postulat usus,  
Sed quæ averfatur, singula deficient!

Affectu fraterno pon.

M. Jeremias Weber SS. Theol. Bacc.



**I**N toto veluti nil est solennius Orbe,  
Quàm sociam blando jungere velle toro:  
Sic sociare probam toto nil varius Orbe.  
Scilicet à DOMINO, si venit, ista venit,  
Tali igitur quod tu Nupta es, WEBERE, potitus,  
Grator, & hac vobis fœdera fausta cano.  
Aurea perpetuò hunc thalamum Concordia cingat,  
Vestraq; sit dulci prole beata domus.

Lipsiæ jamjam valedicturus F.

M. Christianus Groß S. Theol. Bacc.

**T**extoris telam est contexere. PAULE quid ergo es  
Textor, opus modò quòd conjugiale paras?  
Scilicet icit Amor blando tua pectora telo;  
Pro telâ hinc curas tela cupidinea.  
Promittit medicas ultrò tua BARBARA dextras,  
Verùm conjugii conditione: placet.  
Applicet ergò manum feliciter! Inde peractâ  
Re medicâ ad telam par redeatis erit.

ἐξεδίκασεν Lips.

M. David Auerbach SS. Theol. Baccal.

Postquam



**P**ostquam pertexta est Studiorum tela tuorum

**T**EXTOR, Apollinei portio magna chori  
Dum gnavus Quæstor pariliq; examine pensas  
Omnia, dum telam texis & inde novam.

En aliam telam, quam texas præbet amata

Sponsa, nova tela quo relevetur onus!


Hanc ut & absolvas telam sic comprecor, hancce

Telam nec morbus nec mala rumpat Eris.

Fiat!

Ita animitus vovet absens-præsens

Ioannes Schefferus Lips.



*Ad Clarissimum Dn. Sponsum, amicum  
suum certissimum.*

**E**st aliquid, fortis creperum sensisse petaurum;

Est aliquid, superæ fidere semper opi.

**D**ULCIOR est, pelagi post-murmura, Portus; & idem

**T**UTIOR est, Iovâ quem duce cymba subit.

Constat utrumq; tibi; & neutrum te Sponse fefellit;

Nec diuturna fuit, quæ-mora-cunq; fuit.

Iamq; tuam proram, Iovâ duce, litus amicum,

Et sine barbarie **B**ARBARA terra, capit.

Me juvet è pelagô vobis bona plaudere verba:

**D**ULCIA sint vestro, **T**UTAQUE cuncta toro.

Ita ex animô vovet

M. Iohannes Fromhold Cü-  
strino-Marchicus.

V. G.

**S**Es Glücks Unsinnigkeit / vnd sein so hart beginnen

Erfahren / vnd darin fest halten muth vnd sinnen

Ist etwas: auch zu Gott thun seuffzen jederzeit

Um hülf / ist wol ein stück rechter glückseligkeit.

B

Doch



Doch angenehmer ist/wann nach dem sturm vnd wellen  
 Uns sich der anfuhr zeigt/wann nach dem Wasser schwellen  
 Die wilde flut sich legt/das Schiff zu Lande wend  
 Vnd in einm sichern Port mit vollem Segel rent.  
 Dis beydes ist bekand / vnd hat euch keins betrogen  
 Herr Bräutigamb/ obs schon in etwas sich verzogen /  
 Gehts doch noch alles hin / man kan in solchem fall  
 Wann nur die Hoffnung kömpt / seyn frölich vberall.  
 Ihr seht das ewer Schiff fast glücklich ist regieret  
 Durch Gottes starcke Hand/ zum edlen Port geführet:  
 Ihr seht das ewer Schiff gefunden hat den strand  
 Vnd nun getroffen an das herze-liebe Land/  
 Da nichts Barbarisch ist; Obs schon thut sekund bawen  
 Ein Barbrisch Jungfräwlein; Ihr müst die Sitten schawen  
 Den blossen Namen/ Herr/ last euch nicht fechten an/  
 Damit die Venus offte nichts denn nur spielen kan.  
 Ich aber der ich noch von Wellen werd getragen  
 Thu' seht dis trewe Wort Euch in die Ohren sagen:  
 Gott geb das ewer { Schiff } kein sturm noch flut berühr/  
 Bett }  
 Vnd das es vbers Jahr ein fleines { Schifflein } führ.  
 Wieglein }  
 Adplaudemat  
 Æmilius Probus.

---

**S**ic VIRTUS patrio semper subsistere in arvo  
 Nescit, sub vario dum loca Sole petit.  
 Quod NEONTMPHE, probas, quem SAXONIS inclyta DRE-  
 Nunc tenet, ad tedas CHEMNICIUMQUE vocat. (SDA  
 Fallor? an his pactis adplaudit lætus Apollo,  
 Atq; meis similes missitat ore sonos:  
 Plurima



Plurima felicitis producat commoda vitæ  
Vester amor, summum fidus ad usq; rogam.  
Exsurgant nati, dulcissima cura parentum,  
Incolat & PIETAS, PAX, BONITASQUE domum.

*συγχαίρων facieb. Lipsia*  
M. Ericus Pelshofer Græc. Styrius,



**C**um tuus impubi flos, PAULE, viresceret ævo,  
Fingebas Clario pectus & ora stylo.  
Cum matura gravi se momine proderet ætas,  
Herebat Themidos vis tua fixa sacris.  
Jam producta viri tua cum terat incita calcem,  
Pergis obire p̄ jura marita tori.  
Ritè flūunt isthæc; sic quippe decebat ab imis  
Surrexisse gradus orgia ad illa modo.  
Salve lata dies, salve nox latior, in quâ  
Expatranda venit res agitata diu:  
ARNOLDINA domus quâ sese traduce rumpo  
Vivida WEBERII plantat in arva jugi.  
Quidni se tali queat insitione propago  
Spargere, fœcundi nota sat arte satûs?  
Euge coite bonâ scæva, duo supparis ævi  
Corda, beet vestrum gratia queq; torum.

Lipsiæ deproperabat  
M. Michael Calertus



Sales Hymenæo - Poëtici

Ad πρᾶξιν

Grammatico - Jugalem

accommodati,

B 2

Conjugium



**C**onjugium quæ Pars est Nomen, namq; Mariti  
Se REM cum sociâ Coniuge habere ferunt.

Quæ sed est Nomen? nomen peramabile SPONSIS:  
CONIUGIBUS verum quandoq; triste sonat.

Anne movetur idem? sic censeo. Quomodo? paucis  
Accipe: Grammatico haut ordine, sed Physico.

Scilcet, cum SPONSA dum SPONSUS pergit in ades  
Sacras; vel SPONSI dum nova Nupta lares.

Ædibus è sacris laeta ad convivium mensa:

A mensâ ad dulcem tendit uterq; torum.

Augetur ne etiam? quid ni? vel, mole bonorum:  
Sorte vel adversâ: prole vel innumerâ.

Quot gradibus constat? ternis, me iudice. Verum  
Ordine dissveto, parcite Grammatici:

Primus amor thalami jucunda furoris imago est, Superlati-  
vius.  
Quâ SPONSUM flammis torquet AMICA suum.

Temporis accessu mitescit & igne remisso Compara-  
tius.  
Fratris in affectus atq; SORORIS abit.

Deniq; primus amor flammâ demigrat in illas Positivus.  
Quæ Dominus servum pergit amare suum.

Vah bene respondes! Sed dic mea Questio, Cujus  
Conjugium generis, nonne utriusq;? puto.

Hinc Mas intrepidus, Mulier vel virgo virilis  
Unum constituunt hæc duo Conjugium.

Fare age, Conjugium cuius sit fortè figuræ?  
Mixta, miscetur namq; Virago Viro.

Num declinetur? vix estimo commodè ab illis,  
Quæ mens est dextrâ jungere utring; manus.

Sed qui aversantur connubia suavia, quive  
Cælibe nil vitâ dulcius esse putant,

Illis

conjugium



Illi declinant. Vos nullo at jure potestis,  
Nî vultis focij rumpere vincla tori.

Me, mea, terquinos, ignes, quæis flagro, per annos  
Declinare minus posse NIGELLA probat

Dicens: Uxorem quæm quisquis duxerit, illi  
Hereat, & pactam servet utrinq; fidem.

Pareo. VOS SPONSOS his & parere necesse est:  
Tu WEBERE tuæ: BARBARA tuq; tuo.

Sin me Conjugium sucto pro more Scholarum  
Flectere quis cupiat? flexio Sponse sit hæc:

Nom:

Conjugium est commune jugum, commune periculum,  
Nupta maritali quod parat igne Venus.

Gen.

Conjugij, Neonymphæ, tui nova gaudia, fortis  
Cum SPONSA in stratis experiare tuis.

Dat.

Conjugio adspirent vestro pia Numina, donent  
Calitus & socio pignora cara toro.

Accu.

Conjugium verum servate antea omnia sartum,  
Accuset vestrum ne mala turba jugum.

Voc.

Felix, Conjugium, qui te sine transigit ævum!  
At quotus est sine te vivere qui potuit?

Ablat.

Quod superest, opto (votum DEUS audiat æquum)  
Sint procul à vestro jurgia Conjugio.

Animi gratia & debitæ observan-  
tiæ ergò fusi ab

Adamo Andrea Sch. Chem. Rectore.

B 2

Tñs



**T**Ἡς ἱερῆς ἄρα συγγαμίας θεὸς αἰλιός ἔστιν,  
 Λεχηγός τε πέλει, ἔμπεδον ἠδὲ θέλει;  
 Τίς θεϊκὴν ἂν μοῖραν τρυτλῶ ἔχι δέχοιτο;  
 Ἐστὶ θεῶ δόκιμῳ, τὴν δὲ διέταξε θεός.  
 Νύμφη δ' ἐν μάκαρ ἕσσι, ἱσακίων τάγματι θείῳ,  
 Σοὶ νομφῆ τε σέθεν ἢ χαρὰ ἢ τε χάρις.

**C**onjugij sacri Deus ipse est author & auctor  
 Voce sua sanxit, iussit & esse ratum.  
 Ergò statum quisnam non eligat huncce beatum?  
 Numine divino quem sciat esse datum?  
 Quò te cunq; vocant Sponse Optime, fata seqvêris,  
 Vota tibi & Sponsæ prospera quæque feres.

M. Christianus Engel.

Ad Dn. PAULUM WEBERUM Sponsum.

**S**ic est; ubi jam divitat  
 Autumnus uber fructibus  
 Hinc inde terras arborum,  
 Et poma tandem cerea,  
 Legit pyris cum musteis,  
 Botrisq; florifucculis  
 Horti colonus impiger,  
 Suisq; votis, & suis  
 Fruiscitur laboribus.

Et tu Novensilum decus,  
 Dicesq; fama virginis,  
 WEBERE, corq; Apollinis,  
 Sed quem puellus telifer  
 Fatigat in circis novis,  
 Suisq; frangit ignibus,  
 Suisq; tangit arcibus,

Autumnitate non tua  
 Vescaris unquam, dum licet,  
 Fructus amoris carpere?  
 Ob carpe fructus vinnulos,  
 Fructusq; carpe melleos!  
 Jam Spes, laborq; te boni  
 Coronat anni: jam tuis  
 Tua vota fota brachijs  
 Foves, & electissimam  
 Autumnitatem amplecteris.  
 Amplectere hanc feraciter,  
 Flexisq; nocte crusculis  
 Tua vota cultor, ò tibi  
 Autumnitates quot feres  
 Autumnitas hæc unica?

Votiva salutatio ex-  
temporei caloris,

M. Th. Röttingij Pirnensis.

Et me



**E**T me (sed breviter) votis decet addere vota:

*Opto, SOROR, tadis omnia fausta tuis!*

*Adsit Eros, Eris absit, & haud sint tadia tade,*

*Nec lectus luctus, nec thalamus tumulus.*

*Sit procul à te Ate, à lecto quin absit Alecto;*

*Neve infida fides sit, nec amarer amor.*


*Copia fundat opes, addat Polytecnica Natos!*

*Sit tuus ex omni parte beatus Amor!*

*Quod in Acad. Lips. ex animo voveo,*

*T. Frater*

*Johannes Christophorus Arnoldus.*



**D**ISCORDANT REBUS NOMINA SÆPE SUIS.

**B**ARBARA barbariem præ se fert blandula nullam;

*Nil feritatis habet, nil ruditatis habet.*

*Trajectum excipiet panum, missumq; remittet*

*Textrix, TEXTOREM docta juvare suum.*

*Ruptaq; contexet fila, & subtemina doctè*

*Intexet, cupiens texere nocte, die.*

*Cum TEXTORE sciet totam pertexere telam*


*Scitè. quid tandem textitur inde? latet.*

*At, vos TEXTORES, hunc longum texite textum,*

*Nec rumpant Parce Stamina vestra fera.*

*In Acad. Lips. ludeb. at animo non-tali,*

*Nicolaus Costerus, W.*



**E**Cquis Acidaliæ coniunctam fœdere dicat

*Astræam? illa levis pectore, & ista gravis.*

*Bigæ sed hæc in Te coit benè, Sponse, Dearum,*

*Par aliàs discors hic sine labe probum.*

*Ture exæquato fortasse utriq; litasti,*

*Ultraq; quò ferret digna & amœna Tibi.*

*Suppetit*



Suppetit Astrææ dignum nunc munere munus;  
Et Paphiæ officiis ukor amœna venit.  
Ultrâ participet, torus ut sit amœnus utrimq̃,  
De levitate Themis, de gravitate Venus.

Boni ominis, debitiq̃; erga Dn. Spon-  
sum adfectus causâ

F. Matthæus Scultetus Glacens.



**M**irum! Flamma Deos etiam succendit amoris,  
Quando sagittiferâ depromit tela pharetrâ  
Aliger ille Deus, iaculans diversa per orbem.  
Prodeat in scenam cum Daphnide magnus Apollo,  
Lethiferis quorum Cypripot duo corda sagittis  
Diversorum operum fixit: quarum una fugabat,  
Altera succendens Phœbum torquebat amore.  
Te quoq̃; amore citum, cur ergò WEBERE queraris,  
Incusans Pueri vires astusq̃; tenelli?  
Quin potius dicas que Te sagitta petivit,  
Queve Tuam Sponsam? nam Vestrum nemo fugatur:  
Vos ergò unanimâ lesit DEUS ille sagittâ,  
Quam vel Tu, vel Sponsa minus Tua, respuat unquam.  
Ergò manu facili cape dona, Sponse Deorum,  
Daphnide, Sponse Tuâ (Phœbi instar) deinde calefcens,  
Teq̃; suum Phœbum, Daphne flagrabit in horas.

Faustæ Gratulationis debitq̃;  
observantiæ E.

L. M. scribebat Lipsiæ,

Matthæus Paulus Herzer  
Noribergensis,

F I N I S.



Stadtbibliothek Chemnitz



A 145109 5



SLUB

Wir führen Wissen.



STADT  
BIBLIOTHEK  
CHEMNITZ





Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.